

* I * H * V * S *



~~G. # 13.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-23.

SIGNAT. clv̄iscccxiii.

Einzelner versetzt 1941.

Stückzahl erled.

628

23

ELECTORALIUM

Saxon. Alumnorum

GYMNASIUM QUINTUM,

De

PECCATO IN
SPIRITUM S.

Altissimo annuente

Sub moderamine

BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Th. D. & P. P.

Elect. Alumn. INSPECTORIS,

In inclyta Wittebergensi Academia

Propositum

à

M. PAULO RÖSSELIO Reichen-

bachio-Varisco, Facult. Phil. Adjuncto,

RESPONDENTE

M. MARTINO SEIDELIO, Chemnizensi

Habebitur disputatio ad d. 13. Martij h. pomerid. in

Auditorio Alumnorum Electoralium.

WITTEBERGE,

Typis GORMANNIANIS, Anno 1619.



ELECTORALIM

2000. Altonaer

GYMNASIUM QUINTUM

Dr.

RECITATION

STIRIUM

Altsimo an

Sub

BALTHASARIS MEISNERI

1717. D. & P.

Wolfgang

In

Proposition

M. P. A. N. O. R. Ö. S. S. E. L. I. O. R. E. I. C. H. E. N.

1717. D. & P.

Wolfgang

M. P. A. N. O. R. Ö. S. S. E. L. I. O. R. E. I. C. H. E. N.

1717. D. & P.

Wolfgang

Typis G. O. R. M. A. N. I. A. N. I. S. A. P. P. O. S. I. T.





Auxiliante Spiritu Domini.

THESIS I.



Peccati naturam haecenus cum in genere, tum in specie considerata, dicendum adhuc restat de peccato illo omnium gravissimo ac atrocissimo, quod in Spiritum Sanctum committitur, quod tantum, ut neq; in hoc, neq; in futuro seculo remitti possit.

II. Licet autem sint, qui putent, rectius de tanto peccato taceri, quam disputari, ne conscientijs scrupulosis laquei tentationis ac desperationis iniiciantur; nos tamen hac ipsa de causa judicamus paulo accuratius in hujus peccati naturam esse inquirendum. Veritatem enim oraculorum divinorum negare, vel ex oculis removere non possumus, in quibus hujus peccati fit manifesta mentio. Quicquid autem scriptum est, nostri causa scriptum Rom. 15. 4.

III. Accuratè igitur declarandum ac definiendum est, quid sit, tum ne gravitate ejus conscientia innocua premantur, aut penitus in abyssum desperationis precipites dentur: tum ne extenuatione ejusdem peccatores impij sibi securitatem promittant. Dissimulando n. & non explicando ea, quae in scripturis occurrunt duriora, conscientijs non consulitur, nec earum vulnera curantur.



IV. Insuper & hæc consideratio hoc nos docebit, ut hujus peccati atrocitate pensitata sancta sanctè tractare discamus, & non modo à diserta veritatis abnegatione, sed & simulata abstineamus. Nam in articulis fidei Pyrrhonica disputandi ratio haud rarò viam Atheismo parat.

V. Placet igitur hac συζητήσει breviter hisce capitibus quinq; hujus peccati considerare naturam, quorum 1. erit de quaestione *an sit.* 2. *quid sit.* 3. *quæ sint ejus propria consequentia.* 4. *quotuplex sit.* 5. *quomodo de eo nos judicare sive possimus, sive debeamus.*

Captis ex alto nostris allabere, verbo

Sanctifica mentes, spiritus alme, tuo.

CAPUT. I.

Datur speciale quoddam peccatum, quod in

Spiritum Sanctum committitur.

VI. Evidens ac certum hoc est, I. *Ex speciali denominatione*, quâ reliquâ peccata mortalia non participant. Vocatur enim peccatum ac blasphemia in Spiritum S. Matth. 12. v. 31. injuria Spiritui S. illata: Hebr. 10. v. 29. Sicuti autem aliâ quoq; ex nominum notitia devehimur in notiam rerum: sic & nomina distincta, quæ in unam rem competere non possunt, important distinctionem.

VII. 2. *Ex distinctione & oppositione Christi* Matth. 12. v. 31. qui distinguit inter peccatum, blasphemias vulgares, & blasphemiam, quæ committitur in Filium hominis, quæ omnes sunt adhuc remissibiles; & inter blasphemiam in Spiritum S. commissam, quæ sola pronunciat irremissibilis tum in hoc, tum in futuro seculo. Quæ autem opponerentur & distinguerentur, si essent unum idemq; &

VIII. 3. *Ex*

VIII. 3. *Ex peculiaribus notis.* Reliqua enim peccata omnia remitti possunt: solum hoc est irremissibile. Omnia à reatu absolvi possunt: hoc solum ad mortem est. Pro reliquis omnibus est efficax oblatio unius Sacrificij Christi: pro hoc non est ob detestandam horum hominum malitiam ac impœnitentiam, reliqua hostia. Hebr. 10. v. 26. De reliquis omnibus homo pœnitere & ad Deum redire potest: ab hoc solum impossibile est renovari ad pœnitentiam. Pro reliquis omnibus orare licet: nam & Christus pro crucifigentibus & blasphemantibus se oravit in cruce pendens; pro hoc orare nemini licitum. O gravitatem delicti, quæ hominem inevitabiliter ad ima detrudit tartara!

CAPUT. II.

Quid sit peccatum in Spiritum S.

IX. Brevitati studentes breviter hac definitione naturam ejus explicamus: Peccatum in Spiritum S. est veritatis agnitæ malitiosa & voluntaria abnegatio, abnegatæ blasphematio, blasphematæ hostilis oppugnatio, omniumque mediæ salutis abjectio. Vel si placet retinere verba Apostoli, ita definimus ex Epistola ad Hebr. 6. v. 4. 5. 6. & c. 10. v. 26. Peccatum in Spiritum S. est post agnitam & approbatam Evangelij veritatem & perceptam dulcedinem gratiæ divinæ scienter & ex proposito conculcare Filium Dei, & sanguinem fæderis profanum ducere, & Spiritum gratiæ contumelia afficere, adeoque Christum denuò sibi metipsi crucifigere, & ludibrio exponere.

X. In definitione hac tria cum primis sunt consideranda. 1. Objectum. 2. principium. 3. Actus ipse.

XI. Objectum peccati in genere triplex est; 1. Deus, cui *Objectum*
soli pec-

peccamus, dum eius legem, non hominis, vel creaturæ violamus Ps. lxxv. 6. Unde omnia peccata in Deum feruntur, at non omnia immediatè sed mediatè: illorum objectū proximum, & immediatum ipse Deus est horum mediatum. 2. Homo peccans ipse 3. Proximus, quem lædit.

XII. In hæc omnia licet impingat peccans in Spiritum S. in proximum quidem malo exemplo: in seipsum, dum se infernalibus flammis ac Satanæ tradit: in Deum ob summam ἀνομίαν, primariò tamen Spiritui S. hoc adferibitur, non quidem ratione essentiæ ac personæ, ut vult Ambrosius, qui sic dici ἀπὸ λαῶν putat, si Spiritus S. gloria ac majestas negetur; sic enim 1. tota SS. Trinitas læditur, in qua æqualis gloria & coætærna majestas est; 2. non posset distingui inter blasphemiam, quæ committitur in Filium Dei, & illam quæ committitur in Spiritum S.

XIII. Verum sicuti blasphemia in Filium illa specialiter dicitur, quæ est contra sanctissimum ejus meritum, quod solus Filius terminativè (ut loquuntur) præstitit: sic & blasphemia in Spiritum S. specialiter ita dicitur de eo ratione officij, quod est in verbo patefacere divinam veritatem, convertere corda hominum, regenerare ac renovare.

XIV. Et licet hoc ipsum sit cõmune omnibus tribus personis SS. Trinitatis; opera n. ad extra sunt indivisa; servatur tamen proprietas singularum personarum. 1. propter earundem ordinem. 2. propter majorem ac luculentiorẽ patefactionem: hinc Patri in Symbolo Apostolico tanquam primæ personæ primum opus, quod creationis est, adscribitur; Filio tanquam secundæ, secundum opus nempe redemptionis: Spiritui S. ceu

cēu tertiæ tertium, videlicet sanctificatio, quam in hac vita in nobis inchoat, perfectē autem complebit in altera vita, quæ propterea definitur justitia, pax & gaudium in Spiritu S. Rom. 14 v. 17.

XV. Sanctificat autem mentes nostras per ministerium verbi illuminando & testificando, quod ei etiam peculiariter in scripturis adscribitur. Objectum igitur hujus peccati est non vita moresq; hominis conscelerati: unde malè illi agunt, qui auditoribus suis contra conscientiam peccantibus peccatum hoc omnium atrocissimum impingere conantur; sed Spiritus S. manifestans ac confirmans in mentibus hominum verbo suo ac miraculis, quæ sunt fidei appendices, divinam Evangelij veritatem: vel ut alij loquuntur, est veritas Evangelij vel tota, vel primaria ejus pars, quæ prius *debet esse agnita.*

XVI. Requisitum hoc necessarium est, quod monstrat. 1. *ratis nominis.* Spiritus enim S. illuminat mentes hominum per verbum: huic itaq; luci qui tenebras inferre summo conatu laborat, contra Spiritum S. peccat. 2. *Clara dicta* Hebr. 6. & 10. 3. *discrimen inter blasphemiam in Filium & Spiritū S.* commissam: illa conjuncta est cum ignorantia & præpostero Zelo; hæc cum certa notitia; illa spem habet remissionis; si nimirum homo erudiat a Spiritu S. seq; duci ac converti patiatur; hæc caret illâ, quia contemnit omnia salutis media.

XVII. 4. *Exempla contraria.* Paulus oppugnavit Christum ac veritatem Evangelij vehementissimè, unde verè in Filium Dei peccasse pronunciat, sed ignoranter hoc fecit 1. Tim. 1. v. 13. Unde non potest dici, quod peccaverit in Spiritum S. Cui forsitan non immeritò ad-

der e-



deremus Arrianos illos hodiernos, qui nescio quo irreligi-
giosæ pietatis astro vel Zelo oppugnant Deitatem Chri-
sti, blasphemant meritum Christi, & sanguinem Testa-
menti, quo redempti sunt, pedibus conculcant, ac accep-
tare nolunt: ex ignorantia hoc si faciunt, benè de ijs
sperare possumus: sin perrexerint veritatem verbo Dei
stabilitam oppugnare, meliorem Pharisæis ac Judæis
vix sortientur exitum. Certum enim est, illa infinita fe-
re scripturæ dicta, quæ luculentissimè nostram doctri-
nam confirmant, nihil esse aliud, quam infinitas forci-
pes ignitas, quæ illorum hominum notant ac ustulant
conscientiam. Verbum enim hoc illud est, quod eos co-
ram tribunali justici ac severi judicis Jesu Christi olim ju-
dicabit Joh. 12. v. 48.

XIIX. 5. *Exempla similia*, qualia nobis præbent. 1. *Pha-
rao*, qui cupiditate regnandi & retinendi tantam sub-
ditorum ac fervorum copiam, plena voluntate & ex me-
ra malitia resistebat Deo Exod. 5. v. 2. miracula ejus irri-
dendo & calumniando, convictus tamen in conscientia
sua, hæc miracula non nisi à Deo vero omnipotente pro-
venire Exod. 8. v. 19. c. 10, v. 16. 17. & hunc Deum Israelis
esse verum Deum: ejus tamen cultum, ad quem se exi-
re profitebantur Israelitæ, impediabat, & dubio procul
blasphemabat. Quid enim Dei miracula blasphema re,
aliud est, quam veritatem Dei factis, non nudis verbis
manifestatam blasphemare?

XIX. 2. *Auditores Jeremia*, qui negarunt Deum c. 5. v.
12. obædire mandatis ejus simpliciter recusarunt c. 6. v.
16. & ob bona terrena reginæ cœli sacrificare maluerunt
c. 44. Prohibetur igitur Jeremias, ne pro eis oret c. 7. v. 16.

XX. Miserandum tantam fuisse Satanæ potentiam
illis in locis, ubi Deus potentissimè sese & verbo & factis
mani-

manifestarat, ex quibus non poterant non conscientia hominum reddi immota, nullum alium esse verum Deum, quam hunc Israelis. Certum est, in nullo totius orbis angulo majorem idololatriam, majorem inobedientiam, incredulitatem ac Dei veri contemptum viguisse, quam in hac parte orientis, in qua ipse Deus quotidie ferè factis & verbis loquebatur. Ad cujusvis fere Favonij vel amabilioris auræ afflatum mutabant Deos, ut luculenter apparet ex tota historia sacra: meliori quando utebantur fortuna Sidonij, Deos Sidonios acceptabant: quando Philistæi, Philistæi &c. novæ subinde instituebantur reformationes religionis, O execrandam & abominandam hominum malitiam!

XXI. Et tamen stupenda in hosce homines modum omnem, cogitationem & sermonem superantis misericordiae divinae *τεμενεια* extant verba illa apud Jeremiam c. 31 v. 20. Oseam c. 11 v. 7. quæ largum lacrymarum flumen oculis legentium & considerantium non immerito exprimunt & excutiunt. Quis jam peccatorum desperaret remissionem?

XXII. Verum justum tandem Dei judicium subsequutum est, ut quia veritatem immotam certo ac indubitato demonstratam recipere noluerunt, traditi sint in sensum reprobum, quod etiamnum hodie Judæorum experiuntur posteri.

XXIII. 3. *Pharisæi tempore Christi*, qui non poterant non scire, miracula Christi vere esse divina. Unde Nicodemus communi eorum nomine testatur Joh. 3. v. 2. scimus te missum à Deo magistrum. Nemo enim potest hæc signa edere, quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo. Vide & Matth. 22. v. 16 Joh. 7. v. 24. His disertè Christus objicit peccatum in Spiritum S. quia dixerant: Spiritum immundum habet, Marc. 3. v. 30. Nam ne forsan ipsorum doctrina falsa redargueretur & aliquid de eorum autoritate decederet, contra consci-

B

entiam

entiam & contra internum Spiritus S. testimonium non desierunt opera divina adscribere Beelzebub, & ejus doctrinam blasphemare.

XXIV. 4. *Pharisæi ac Judæi tempore Apostolorum. Act. 6. v. 10. c. 7. v. 50. 54.* Cujus rei indignitate commotus procul dubio Apostolus tam serio ac copiosè in epistola ad Hebr. cap. 6. & 10. dehortatur ab hoc peccato. 5. *Julianus Apostata, reliquiq; apostata ultimi temporis,* de quibus 1. Tim. 4. v. 1. *Jobannes Stöffelius SS. Theologiæ Doctor,* qui ad tempus magno Zelo veritatem Evangelicam contra qualvis corruptelas præsertim Calvinianas masculè defendit, postea mellitis Sacramentariorum verbis circumventus ac inductus à veritate agnita defecit, & in summa animi desperatione mortuus est. *Thomas Pistorius* Pastor Evangelicus in Comitatu Oettingensi, qui à Lutherana ad Calvinianam defecit religionem, similem q; vitæ fortitus est exitum. De his vide D. Philippi Nicolai Bericht von der ganzen Calvinischen Religion Tom. 3. operum Germ. pag. 5.

XXV. An non huic cœtui debeant suo adjungi merito non pauci ex Jesuitis, reliquisq; Pontificijs, qui de veritate Evangelicæ doctrinæ in sua conscientia convicti sunt, eam tamen traducere, calumniari ac blasphemare non desistunt, meritò dubitamus.

XXVI. Ex hoc requisito patet, eos nondum peccare in Spiritum S. qui sensu tormentorum adiguntur, ut blasphement doctrinam Evangelij. Hi n. 1. non delectantur istis blasphemijs & persecutionibus nominis Christiani, sed inviti ac coacti inter ipsos cruciatus optant sibi licere frui luce veritatis, 2. non persistunt in illa sua abnegatione & blasphemia, sed à cruciatib; illis liberati serio agunt pœnitentiam, ac deplorant suum illud peccatum, quod
mani.

manifestum fit exemplo illorum Christianorum, qui à Paulo persecutore compellebantur blasphemare per omnes synagogas, uti ipse coram Agrippa fatetur. Act. 26. v. 11. Hos enim omnes velle damnare, nimis videtur absonū.

XXVII. Deinde principia sunt consideranda, quorum duo numerantur. 1. Intellectus. 2. Voluntas. Ex parte illius requiritur, ut ex plenaria scientia non ignorantia, ex evidenti notitia, non vacillante dubitatione fiat: ex parte hujus, ut non ex infirmitate carnis metu periculi ac mortis fiat, uti à non paucis in atrocibus persecutionibus fieri solet; sed ex plena voluntate, quam tamen non tollunt irritamenta malorum divitiarum, vel alia hujus mundi bona, quibus aliquis inducitur ad talem abnegationem. Non enim propterea Pharisei sunt liberati ab illo peccato, quia veritatem agnoscentes plures fecerunt gloriam hominum, quam gloriam Dei Joh. 12. v. 43.

XXIIX. Patet hoc 1. *Ex exemplo Pauli*, qui ignorans Christum, ejusque verbum & Ecclesiam persecutus est, sed & veniam consecutus est 1. Tim. 1. v. 13. Petri, qui ex infirmitate Christum negavit: cujus generis etiam peccatum Francisci Spiræ meritò æstimatur, qui falsò sibi persuasit, se commississe peccatum in Spiritum S 2. *exemplis alijs*, quæ habentur in scripturis, quæ ante adducta sunt 3. *Affertione Apostoli Hebr. 10. v. 26.* ἐκασίως ἀμαρτανόντων μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, ἢ ἐν περὶ ἀμαρτιῶν ἀπολείπεται ἴσως.

XXIX. Hinc hi homines scientes nesciunt Dei veritatem: videntes non vident, & intelligentes non intelligunt, quia eorum cor induratum est. Habent notitiam veri theoreticam, sed in πρᾶξι blasphēmant: habent scientiam literalē, sed Spiritus efficacia destituuntur: sciunt quid agere debeant, & quomodo damnationem effugere debeant, salutis tamen suæ immemores, eam non curant.

curant amplius, sed contra conscientiam viam salutis apud
alios negant, traducunt ac blasphemant, & peccant ^{ὄντες}
^{αὐτοκατάκριτοι} proprio iudicio damnati. Tit. 3. v. 11. caetero
notatam habentes conscientiam 1. Tim. 4. v. 2. Datur igitur
hic plena mentis notitia cum cæcitate, lux veritatis
cum tenebrarum consortio.

XXX. Tandem in actu ipso requiritur. 1. veritatis agnita abnegatio, 2. abnegata blasphematio. Hinc tales homines dicuntur denuò crucifigere Filium Dei Hebr. 6. v. 6. calumniari ac blasphemare c. 10. v. 29. 3. Blasphematae malitiosa oppugnatio: & 4. omnium salutis mediorum abjectio. Vide Anthropol. Rev. & Clariss. Dnl. D. Meifneri disp. 10. q. 2.

CAPUT. III. De Consequentibus.

XXXI Hinc dependet. 1. *Summa gravitas*, quæ aestimatur tum ex objecto, in quod fertur. Odor enim vitæ odor mortis eis fit; doctrina salutis ac remissionis peccatorum gratiosa & Evangelica eos igni infernali tradere cogitur: Christus salvator severus iudex fit: Spiritus gratiæ fit spiritus furoris ac iræ; tum ex fructu pessimo.

XXXII. 2. *Irremissibilitas*. Dicitur hoc peccatum irremissibile, non ac si sua atrocitate misericordiam Dei & meritum Christi superet & excedat: sic enim sequeretur. 7. peccatum exuberare supra gratiam, quod è diametro repugnat Apostolo Rom. 5. v. 10. 2. meritum Christi universale, promissiones Evangelicas pertinentes ad omnes, mandatum Christi de vocandis omnibus ad regnum Dei fierent particularia, quod contra scripturam.

XXXIII. Sed dependet ex impossibilitate pœnitentiæ. Nam impossibile est, tales peccatores redire vicissim, & renovari per pœnitentiam Heb. 6. v. 46. Manifestum hoc est. 1. *ex omnium mediorum salutis abiectione*. Ut enim agrotus
tus

rus, qui omnia rejicit medicamina, curari nequit: sic neq;
 talis peccator converti potest, qui omnia salutis media
 abjicit, contemnit, conspurcat ac blasphematur. 2. *Ex summa
 Satanae potentia*, quæ ex ipsa Christi *emphasi* luculenta est,
 dum ait Luc. 11. v. 24. 25. 26. Spiritum immundum ex homi-
 ne expulsam, si denuo in pristinum admittatur hospitium,
 non venire solum, sed assumtis septem spiritibus seipso no-
 centioribus ingredi, ut posteriora illius hominis fiant de-
 teriora primis.

XXXIV. Hinc licet & alia peccata & in genere adultor-
 um omnium, qui in impoenitentia decedunt, maneat ir-
 remissa, neq; amplius post mortem remitti possint; hoc
 tamen ex propria sua natura non tantum irremissum manet,
 sed & revera irremissibile est, ratione & actus & potentia.

XXXV. Removemus autem hic ac damnamus. 1. *Catba-
 rorum ac Novatianorum* errorem, qui vi horum dictorum,
 in genere quibusvis post baptismum susceptum lapsis, &
 ijs qui persecutionis tempore Christum abnegarunt, ve-
 niam omnem peccatorum denegarunt: quibus pia anti-
 quitas recte exemplum Petri opposuit.

XXXVI. 2. *Photinianorum* hodiernorum, qui pro gra-
 vioribus delictis nullam superesse hostiam statuunt, quo
 ipso patentissima ad desperationem panditur porta. Qui-
 bus nos merito opponimus 1. promissiones Dei generales
 de remissione quorumvis peccatorum etiam atrocium,
 Ezech. 18. v. 23. c. 33. v. 11. Jer. 18. 8. 2. Sacrificia V. T. pro gravio-
 ribus delictis oblata. 3. Exempla gravissimorum peccato-
 rum Adami, Davidis, Manassæ, Petri, Mariæ Magdalena
 &c. 4. fidem Christianam, qua profitemur nos credere
 remissionem peccatorum.

XXXVII. 3. *Pontificiorum*, qui ideo quod peccatum hoc
 irremissibile dicitur tum in hoc, tum in futuro seculo, cō-
 clude-

cludere volunt, quædam peccata post hanc vitam remitti
ri. Nā extat hic universalis remissionis negatio, quæ pro-
verbiali hac infiniti vel omnis tēporis divisione exprimitur,
à qua ad affirmationem nō valet cōsequentia. Et quid hoc sit,
explicat clarè Marcus c. 3. v. 29. non habet remissionem in æternum,
sed reus est æternæ damnationis. Audis, quid sit, neq; in hoc, neq; in futuro seculo remitti?

XXXIX. 3. *Induratio.* Justè enim à Deo deseritur, qui Deum blasphemijs laceffere non veretur: juste spiritui vertiginis & in reprobum sensum traditur, qui veritati cedere renuit. Unde hoc peccatum postea & causa & pœna peccati simul fit.

XXXIX. 4. *Finalis impœnitentia* Hebr. 6. v. 4. 6. & certa mors. Unde & peccatum ad mortem à Johanne appellatur κατ' ἐξοχῆν. Licet enim omnia non renatorum peccata sint mortalia, ac certò promereantur æternam mortem, hoc tamen primariò & solum est ac dicitur ad mortem ac damnationem æternā, quia nihil aliud restat, quam formidabilis quædam expectatio judicij, & ignis vehementia, qui devoraturus est adversarios. Heb. 10. v. 27

XL. 5. *Precaationis negatio* Jer. 7. v. 16. 1. Joh. 5. v. 16. Qui enim pro tali orare vellet, nihil aliud ageret, quàm si orare vellet, ut Deus aliquem sine Christo ac medijs salvare velit, quod ejus verbo contrarium. 6. ἀνομιὰς ἁμαρτίας Tit. 3. vers. 11.

CAPUT. V. *Quotuplex hoc peccatum sit.*

XLI. Numerant aliqui sex species: 1. præsumptionem de misericordia Dei seu impunitate peccati. 2. Obstinationem. 3. impugnationem agnitæ veritatis. 4. invidentiam fraternæ gratiæ. 5. Desperationem. 6. Finalempœnitentiam. Attamen revera species non sunt, sed potius gradus, quibus paulatim proceditur ad indurationem & finalempœnitentiam.

No-

XLII. Nostrates considerant *i. homines*, qui vel habent notitiam literalem duntaxat, attamen certam & immotam, ut Pharisei, Pharao: vel cum illa notitia etiam sunt illuminati à Spiritu S. gustarunt donum cœlestis & bonum Dei verbum ac virtutes futuri seculi Heb. 6. v. 5. Illi certam habent notitiam: hi præterea ob signatam; unde etiam longè gravius peccant. II. *Objectum.* Impugnatur enim vel Lex, vel Evangelium: priori minus propriè, minusq; secundum scripturarum sensum peccati in Spiritu S. appellationem tribui asserunt: huic vero propriissimè. Evangelium præterea vel totaliter, vel quoad partem aliquam primariam oppugnatur.

CAPIT. VI. *De Judicio humano.*

XLIII. Non amplius hic quæritur de peccato in Spiritum S. generaliter & in sua natura considerato, sed de ipsis potius peccatoribus, uti thesis generalis ad hypothesin est transferenda, quod sanè difficilimum. Fieri enim potest, ut pro tali peccatore habeatur à nobis, qui tamen revera talis non est. Nec enim nos corda hominum introspicere possumus, sed hoc solius Dei est: is solus novit, quinam perfectè sint indurati, qui non: nos duntaxat ex externis judicamus operibus. Deinde deest adhuc ultimum talis peccati complementum, nempe finalis impœnitentia, quæ consummata ante hominis obitum nondum est. Hinc ante hominis obitum de tali peccato non fertur iudicium certum & immotum, sed probabile duntaxat, nisi certò & indubitanter constet de malitiosa ac plenaria talium peccatorum induratione. Iudicium itaq; præcipitare non debemus, sed quavis cōversionis tentare media.

XLIV. Neq; preces cum publicæ, tum privatæ propterea sunt suspendendæ, quibus à Deo ipsorum oremus conversionem, addita tamen conditione hac; si con-

verti

verti possint, si non sint penitus indurati. Cœtera iudiciã
Deo cõmittimus, qui cum eis pro merito agere potest &
solet. Ex hætenus dictis sequentia deducimus *πορίσματα*.

1. Verè renati, & qui gustum perceperunt doni cœlestis
ac futuri seculi vicissim in peccata labi possunt. Heb. 6. Re-
pugnat hoc Calvinianis, & in specie Paræo qui in Cõmen.
in Epist. ad Hebr. p. 266. contra Apostolum asserit, ta-
lem gustum in hypocritas & Apostatas cadere vix posse.
Ethoc omne vitiosè interpretatur de initio fidei, (quo
tamen sibi contradicit : nam & principium veræ fidei ve-
ra fides est) & de virtutibus miraculorum.

2. Peccatum hoc non à quovis, sed ab insigniter erudi-
tis & in doctrina Christiana confirmatis committitur.

3. Ananiæ mendacium Act. 5. non potest speciali ratio-
ne dici peccatum in Spiritum S. sed generali ratione in-
eum fertur. Nam 1. non oppugnat doctrinam Cœlestem
ex destinata voluntate, sed eam delinquens per avaritiam
& dissimulationem dehonestat. 2. Aliàs Cainitæ o-
mnes resistentes præconi justitiæ Noæ, quibus cum con-
tendit Spiritus S. Gen. 6. v. 3. ut & Israelitæ, qui opponen-
do se Moysi & Aaroni dicuntur irritasse Spiritum Domi-
ni, Esa. 64. v. 10. hujus peccati essent rei, quod videtur in-
conveniens.

Ἐπιόγματα.

1. Sola incredulitas damnat.

2. Pro finali incredulitate ac impœnitentia utique
satisfecit Christus.

Δόξα τῷ Θεῷ μόνῳ.

- 1 Muri Babylonis Romanae. s. e. conficta Religio papistica
Fundamenta 12. — 1.
- 2 Excuriarum papisticarum depulsio. — 46.
- 3 Dica pontificiis scripta, ob impietatis & Falsi crimen, in
S. S. Scripturam ab ipsis commissum. — 202.
- 4 Dica pontificiis scripta, ob crimen Calumniae, qua sacrosan-
ctas Dei Literas impudenter praegravant. etc. — 266.
- 5 Thema Theologicum, Ecclesia potest errare. — 284.
- 6 Quaestiones 6, de titulo Ecclesiae Catholicae. — 316.
- 7 Progymnasma Theologicum, de iudice controversiarum Fidei
et Religionis Christianae. — 336.
- 8 Octo Errores papistici, de Poenitentia, Confessione & Absolutione. — 346
- 9 Dissertatio Theologica de bonis Operibus. — 364
- 10 Disputatio Theologica, de nobili Quaestione, an Lutherani
& Calviniani in fundamenta Fidei consentiant. — 374
- 11 Disputatio Theologica de Praedestinatione aeterna. — 422. / 458.)
12 Petas quaestionum ill. controversarum de praedestinatione.
- 13 Magnum pietatis mysterium, de Deo in carne manifestato. — 470.

14. Disputatio Theologica, de gloriosa Salvatoris n^{ost}ri Jesu Christi Resurrectione. — 526.
15. Disputatio Theologica, de Attributis Fidei cōmūib^{us} & propriis — 538.
16. Christiana Charitū Triga, seu de Fide, spe & Caritate dissertatio — 564.
17. Hexaëmeron Mosaicū, succincta explanatione repetitū. — 578.
18. Zucubratiuncula de Justificatione. — 586.
19. Gymnasma primū, de Peccato in genere. — 592.
20. Gymnasma 2dum de lapsu primi hoīs. — 598.
21. Gymnasma 3tium de Peccato Originis. — 606.
22. Gymnasma 4tū de Peccatis actualibus. — 616.
23. Gymnasma 5tū de Peccato in Spiritu sc̄to. — 628.
24. Disput: Theol: de causis peccatorū. — 636.

Umg. VI 2 3

= [Dissertationes
theol. Vol. 59]


ULB Halle 3
002 386 852




Sl. 26

Folio
VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13



628

23

RALUM
 MINORUM
 QUINTUM,
 TO IN
 TUM S.
 nnuente
 ramine
 IS MEISNERI
 O. & P.P.
 SPECTORIS,
 ergensi Academia
 itum
 SSELIO Reichen-
 cult. Phil. Adjuncto,
 DENTE
 DELIO, Chemnizensi
 3. Martij h i. pomerid. in
 rum Electoralium.
 BERGAE,
 IANIS, Anno 1619.

